

Sibthorp, John ; Smith, James Edward [Editor]: Flora Graeca, sive plantarum rariorum historia, quas in provinciis aut insulis Graecis legit, investigavit et depingi curavit John Sibthorp: hic illic etiam insertae sunt pauculae species quas vir idem clarissimus, Graeciam versus navigans, in itinere, praesertim apud Italiam et Siciliam, invenit (Voluminis quinti- Fasciculus primus): Vol. V.

London, 1825

Seite 97

DECANDRIA TRIGYNIA.

23

internodiis viscidis ; infernè ramulosus, ramulis oppositis, simplicibus, patentibus, brevibus ; supernè paniculatus, multiflorus. *Folia* obovata, mucronulata, integerrima, uninervia, crassiuscula, villosa, densè fimbriata ; radicalia majora, caespitosa, petiolata ; caulina basi angustata, connata, supernè in bracteas sensim diminuta. *Panicula* erecta, decomposita, undique pubescens ; ramulis abbreviatis, coarctatis, multifloris, subverticillatis ; pedunculis unifloris, ramulo proprio longioribus, basi bracteolatis. *Flores* erecti, ochroleuci, vespertini. *Calyx* clavatus, virens, densè pubescens, decemnervis. *Petalorum unguis* lineares ; *laminae* semibifidae, lobis rotundatis ; basi bicallosae, vel obsolete appendiculatae ; subtùs venis rubris, anastomosantibus, pictae. *Stamina* omnia exserta, laminarum longitudine, ochroleuca. *Germen* ovale, receptaculo proprio brevius. *Styli* staminibus longiores. *Capsula* subglobosa, longius pedicellata, laevis, ore sexdentata, demùm ferè sexvalvis. *Semina* reniformia, transversim pulcherrimè corrugata.

a. Calyx.

b. Flos, calyce orbatus.

c. Capsula, cum pedicello proprio, atque calycis vestigiis.

d. Semen.

TABULA 433.

SILENE LINIFOLIA.

SILENE caulibus supernè paniculato-ramosis, petalis bipartitis rotundatis, foliis lineari-lanceolatis scabris.

In monte Parnasso. 2.

*Radix* lignosa, crassa, caespitosa, multiceps, perennis. *Caules* numerosi, pedales vel altiores, erecti, teretes, incani, crebriùs geniculati, foliosi ; infernè simplicissimi ; supernè paniculati, alternatim subdivisi, pauciflori. *Folia* uncialia vel sesuncialia, lineari-lanceolata, mucronata, uninervia, integerrima, utrinque scabra ; superiora in bracteas sensim diminuta. *Flores* parvi, erecti, *pedunculis* incanis, basi bracteolatis. *Calyx* clavatus, pallidus, membranaceus, glabriusculus, costis decem tenuissimis. *Petalorum unguis* cuneati, virescentes ; *laminae* bipartitae, lobis rotundatis ; suprà carneis ; subtùs viridulis, fusco venosis ; *appendiculis* obtusis, bifidis. *Germen* ellipticum, longitudine receptaculi proprii. *Stamina* inclusa, vix germine altiora. *Styli* exserti. *Capsula* ovata, glabra, apice sexvalvis, longitudine pedicelli proprii. *Semina* subrotunda, compressa, dorso scabra.

a. Calyx.

b, b. Petala.

c. Stamina et pistillum, cum receptaculo proprio.

d. Pistillum seorsim.

e. Capsula cum pedicello, staminibus emarcidis, et calycis basi persistente.